Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3335

Quelle:
Copyright:

Nobis ſubſcribitur: *Facta eſt Collacio in Concilio per Magiſtrum Johannem Rakanſana ambaſiatorem incliti regni Bohemie Menſe Januarij.*

IV. *fol.* 69. p. 2. absque titulo: *Juliani* Card. Legati et praeſidentis in Synodo *Baſil. Oratio* in adventu Legatorum *Bohemiae* habita 9. *Jan.* 1433. hoc initio: *Locuturus igitur pro publica chriſtiani populi vtilitate* &c. Urgetur in ea maxime: quidquid uſpiam circa Religionem dubiorum eſſet, ſubmitti debere Concilii generalis judicio, utpote quod eccleſiam univerſalem repraeſentaret. Finis eſt: *vos omnes et alios filios meos ubique exiſtentes perducere dignetur, qui viuit cum* &c. Et ſubſcriptio: *Collacio hec precedens facta eſt in aduentu Bohemorum per reuerendiſſimum dominum Julianum legatum et preſidentem.* Extat impreſſa in *Colleƈ. Labb.* edit. *Venet.* T. XVII. *col.* 686.

V. *fol.* 80. p. 2. absque titulo: *Sermo* habitus ad PP. *Baſileenſes* in feſto D. *Thomae Aquinatis* in illud *Matth.* c. 5. *Vos eſtis lux mundi.* Initium: *Notum eſt in perſpeƈiua principium, ſine luce nihil videri* &c. Inter alia: *Conſulamus animum bujus ſacri Doƈtoris cuius agimus ſolempnia. Nam ſcriptum eſt: interroga maiores tuos et dicent tibi. Quid dico ſanƈiſſimum Auguſtinum. Nam Auguſtinus pater beati Benediƈti fuit, ſub cujus fuit regula enutritus. Nam ita cantamus:* Sub Auguſtini regula mente profecit ſedula. *At vero beatus Dominicus huius ſacre religionis eſt pater, cuius filius eſt noſter fecundiſſimus doƈtor* &c. Breviter praeterea *Thomae* vitam percurrit et ejus ſcripta contra errores, ut ait, *arrois* (Averrois) *qui dixit vnum eſſe in omnibus hominibus intelleƈtum, G. de ſanƈto amore, vegerij* (quis hic?) *et eorum ſequacium, qui per diuerſa ſophiſmata religioſam paupertatem et eius ſalutaria inſtituta eradicare nitebantur*, commemorat. Demum PP. conſcriptos ad officium in Synodo ſtrenue faciendum hortatur. Fugit hic *Sermo* Conciliorum Colleƈtores, cujus autor fortaſſe fuerit *Johannes de Raguſio* O. P. vir in illa Palaeſtra notus.

VI. *fol.* 88. rubro: *Incipit dyalogus Venerabilis et egregij viri domini Enee Siluij Senen Sanƈiſſimi domini noſtri felicis* (Amadei Sabaud.) *diuina prouidencia pape quinti Secretarius de rebus conciliaribus.* Opus hoc praemiſſo erudito *Monito* juris publici fecit Cl. *Kollarius* T. II. *Analeƈ. Vindob. col.* 691. collatis duobus Codicibus, uno praeſente, et altero, quem Bibliotheca *Auguſta* inter Scriptores *de Jure Canon.* ſervat. Itaque, quod addam, non habeo, niſi, liquere ex *Bulla Retraƈationis* editioni *Opp. Aeneae Silvii Baſil.* 1571. f. praefixa, qua autor jam Pontifex et *Pius* II. hos *Dialogos* reprobat, nullis illum, dum *Baſileae* ageret, ſacris muniis initiatum fuiſſe. Ita enim ibi: *Eramus adhuc pene laici, quando ad Eugenii obedientiam redivimus. Ex Baſilea clericali tantum charaƈtere in-*